

LIII.

Q. D. B. V.

POSITIONES PHILOLOGICÆ,

Quas

Sub Præsidio

VIRI

Nobilissimi, Amplissimi, atq; Excellentissimi

DOMINI

BALTHASARIS STOLBERGII

Philologi per Orbem literatum Clarissimi & Græcarum

Literarum Prof. Publ. celeberrimi,

*Patroni, Præceptoris & Promotoris studiorum suorum
summè venerandi,*

In Illustri Wittenberg. Academia a. d. 7. Maji

A. O. R. M DC LXXXIV.

Erudito Φιλολογέντων Examine

submittit

M. GODOFREDUS PREUSS

Vratislaviensis,

N. J.

in univ.

Magnifici Senatus Vratisl. Alumnus.



WITTENBERGÆ

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

Exeg.

C.

171,38

150

BALEBIA SANA

M. GODOFRIDUS PRAESES

11



Σὺν τῷ Θεῷ.

§. 1.

Stilus novi Fœderis purus est, hoc est, purè græcus est: cujus puritatem primùm in dubium vocarunt, deinde negarunt etiam multi interpretes, decepti à Sophistis Atticis, quorum mentem sanè non satis perceperant, dum isti multas voces, quibus etiam constat oratio Novi Fœderis, repudiaverunt, non tanquam minus græcas, sed tanquam minus Atticas.

§. 2.

Inde verò etiam patet, quàm sinistrè non nulli colligant, Apostolos & Evangelistas non scripsisse purè græcè, cum sibi evicisse visi sunt, illos alio sermone usos esse, quàm Demosthenem aut Atticos ceteros. At verò nec Herodotus, nec Pindarus, nec Theocritus, nec Arrianus sive in Historia Indica, sive in Disfert. Epiet. nec Polybius aut Diodorus Siculus, multique alii eodem, quo Demosthenes, vel Attici ceteri,

ri,

ri, ubi sunt sermone: quis verò ideo græcè ipsos scripsisse negaverit?

§. 3.

Frustra *ἐξουσία* 1. Cor. XI. 10. inter Hellenistica à quibusdam refertur, qui destituti à ò. Senioribus in versione græca, nihilominus suo genio hellenistico indulgentes, prolixis ambagibus ad Arabes excurrunt, & inde vim vocis petunt, quam à Græcis ipsis accipere poterant. Dum ergo *ἐξουσία* velamen mulieris est, non id quidem hellenisticè fit, sed per metonymiam, qua signum rei signatæ nomen accipit. Velamen enim uxoris est signum *ἐξουσίας* passivæ in muliere. Itaque non tantùm in publico aliàs, teste Plutarcho *Quæst. Rom.* 14. sed & in Sacris conventibus, & ex monito Pauli quidem h. l. v. 5, 6. Velatas comparere foeminas oportuit, in testimonium potestatis suæ, cui vel ut filia, vel ut nuptæ erant subjectæ.

§. 4.

Vox *Ἰησους* Matth. VI. 11, Heinsio Hellenistica, plane talis non est, etiam ex mente & hypothese Heinsiana, id quod testatur ipsa Heinsiana Hellenistica.

§. 5.

Vox *ἐπίσημος* in textu N. Ti græco, non quæ rem ipsam, sed quæ formam duntaxat exterioriorem, antiquioribus Græcis quidem incognitam, suâ tamen analogiâ in re fundatâ constantem, nova est. Res enim, quam olim significabat, novam quandam formam

mam

mam accepit. Neque tamen propterea vox est Hel-
lenistica. Erant quippe Atheniensibus, ut testatur
Scholiastes ad Aristoph. Comœd. *Aves* inscriptam,
Episcopi, qui ab ipsis in Urbes Atticæ Ditionis missi
spectabant, quid rerum gereretur inter oppidanos,
visa que ad Senatum deferebant. Hæc verò ad Epi-
scopos Novi Fœderis quadrare, formâ rei paullùm
mutatâ propter analogiam, testis est ipse Paulus Act.
XX. 28. Unde cum res eadem manserit, in materia
nulla est differentia.

§. 6.

Κυριεύειν & νατ κυριεύειν Marc. X. 42. idem signi-
ficant, neque illud de legitimo, aut hoc de illegitimo
dominio exponi debet, obstante parallelismo Luc.
XXII. 25. Sicuti nec *οἱ δοῦντες ἄρχειν* Marc. cit. sunt
illegitimi Principes & imperantes, obstante denuò
Parallelismo, Matt. XX. 25. Ut adeo per se ruat fun-
damentum cum fulcris suis sive exceptionibus, qui-
bus niti vult Cleri Dominatus.

§. 7.

Ἐργασία Luc XII. 58. quòd & operam & quæstum
significet, etiam apud probatissimos Græcorum Scri-
ptores, non diffitente Heinio, vel ideo frustra Helle-
nisticis accensetur vocabulis.

§. 8.

Βασανισόμενος Matth. VIII. 6. est morbo gravissimè
vexatus: ubi non obstat, quod Lucianus in Pseudoso-
phi-

phista hanc significationem inter solœca referat, cui & Thomas Magister & Harpocratio, cœsente Clar. Grævio in Lucianum, ad stipulantur, cum omnes verbum *βασανίζειν* non de vexatione hominis ex morbo, sed de inquisitione reorum sive per quæstionem, sive per torturam accipiant. Versantur enim illi in dialecto Atticâ, quæ hanc significationem tenebat, illam respuebat. Inde verò ad Orationem N. Ti. dialecto Communi scriptam non licet colligere. Et cum Suidas negat, Atticis *βασανίζειν* significare *τιμωρεῖν καὶ μαστιγᾶν*, & contendit potius, idem esse atque absque plagis inquirere in verum *διὰ λόγων*, non videt sibi contrarium esse ipsum Atticum Scriptorem Aristophanem, in Comœd. *Ραῖα* v, 625. seqq. qui hunc *βασανισμόν* per *τιμωριτικὰ ὄργανα* exponit. Consentit autem Scholiastes Aristophanis cum Suida, unde alter alterum secutus fuisse, quin etiam, alter alterum decepisse videtur.

§. 9.

Τυμπανισμός Martyrum Hebr. XI. 35. qui aliis per letalem percussionem, factam crebris ictibus, aliis per excoriationem, vel suspendium, vel suffixionem vel decollationem, aliis denique per extensionem in fidiculis exponitur, si originem vimq; vocis spectes, videtur exponendus esse de pulsatione corporum crebris ictibus, more Barbaris adhuc familiari, à planta pedis, per dorsum, usque ad cervicem. Pro qua

qua sententia facit quod Scholiastes Aristophanis in Comœd. Pluto v. 476. dicat τύμπανα ξύλα, ἐφ' οἷς ἐτυμπάνισον, ἐχρῶντο γὰρ ταύτη τῇ τιμωρίᾳ. Ἡ βόικλα παρὰ τὸ τύπτειν, ἤγυν ξύλα, οἷς τύπτονται ἐν τοῖς δικάσειοις οἱ τιμωρέμφοι. In singulis enim ad pulsationis modum provocat in exponendo nomine; Unde hanc vim nominis verbum derivatum utique retinet.

§. 10.

Καταποντισμὸς Supplicium num æque Hebræis, ac olim Romanis, Græcis & aliis Gentibus fuerit cognitum usurpatumque, non perinde certum est. Neque tamen sequitur, verba Christi Matt. XVII. v. 6. ab auditoribus suis sic non potuisse intelligi. Proclive enim erat & facile rem totam ἐ vicinarum Gentium usu & consuetudine intelligere.

§. 11.

Ex collatione versus 9, & 11. capituli V. prioris ad Corinth. Epistolæ non satis certum est, Epistolam fuisse aliam plane à binis illis, quas habemus, ad quam Apostolus v. 9. provocat; quin eandem proterius esse, quæ nobis prior est, ex eo etiam colligi potest, quia Paulo solenne est in eisdem epistolis ad superiora verba provocare, ut patet ex Eph. III. 3. Gal. VI. 11. Rom. III. 9. ut & Johanni in prioris Epist. cap. II. 14, 21, 26, cap. V. 13. &c.

§. 12. Voce

§. 12.
Voce ἀδελφῆ 1. Cor. IX. 5. non eorundem natali-
um, sed ejusdem fidei locia intelligitur, sicuti & vox
γυνή non tam sexum, quàm potius & præcipuè sta-
tum & conditionem conjugalem involvit: Unde
rectè vertitur *uxor*.

§. 13.
Υπερήματα τῶν θλίψεων τῶ χριστῶ Col. I. 24. non
sunt ea, quæ defunt afflictionibus Christi, sed τὰ ἐπό-
μενα, h. e. quæ sequuntur easdem, ut sunt μαρτύρια
Ecclesiae, ceu Corporis Christi, qui, utpote illius ca-
put olim prædixerat hæc ὑπερήματα Joh. 16. 2. seq.
inq; semetipsum redundare asseveraverat, Act. IX.
4. 5.

§. 14.
Ἐνταφιάζειν Matth. 26. 12. à quibusdam minus
bene per *sepelire*, rectiùs per *pollingere* exponitur. Ut
enim pollinctores & libitinarii, sic & ἔνταφιασμός &
ταφή differunt. Unde liquet verum ἔνταφιασμόν
fuisse juxta morem Judæorum, qui describitur
Joh. XIX. 40.

